



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

P R Æ F A T I O.

PAUCIS te volo, *Amice Lector*, ut & consilii meâ rationem & scribendorum ordinem modumque habeas.

Nu. 1.

§. I. Opusculum hoc, est additamentum ad Medullam Reverendi Patris Busenbaum, de quo Nathanael Sotnellus in bibliotheca Scriptorum Societ. JESU ita habet: *Hermannus Busenbaum, natione Germanus, patria Nottelenensis in Westphalia, natus anno seculari 1600. Deo se in Societate devovit 1619., & votorum quatuor sacramentum solenne dixit. Docuit in ea Humaniora, Philosophiam, Theologiam Scholasticam & Moralem, rexitque Collegia, Hildesense & bis Monasteriense in Westphalia. Vir eximia prudentia & singularis doctrina, unde à Celsissimo Principe Episcopo Monasteriensi (Christophoro Bernardo de Galen) in arbitrum conscientia sua est adlectus, eoque munere magnâ tam ipsius Principis quàm Aulicorum commendatione perfundus. . . . In sacro tribunali Pœnitentiæ, commissos sibi animos mirâ dexteritate regebat. . . . Susceptis præsentis animo extremis Sacramentis Spiritum Deo reddidit Monasterii, ubi tunc erat Rector, die ult. Jan. 1668. Dum Theologiam, qua de Moribus tractat, prælegeret Colonia, composuit auream illam Medullam Casuum, qua in omnibus dein recusa Provinciis, omnium tenuit approbationem; atque ita edidit Medullam Theologiae Moralis, Monast. Westph. apud Bern. Raesfelt 1645., recusam Coloniae, Francofurti, Lugduni, Romæ, Venetiis, Macerata & alibi, ad minimum 45. vicibus, & editio 45. facta est Vlyssipone. Postea iterum ac sæpius recusa est*

tum Antverpiæ tum Colonæ, ita ut facilè quinquagesies subierit prælum.

2 §. II. Sequar Ordinem hujus Medullæ, ejusque textum primo loco statuem cum notis Commatum ad marginem, ut discerni possit. Et quamvis in dicta Medulla sint aliquæ propositiones postmodum notatæ à Pontificibus, (scripta enim est & impressa ante decreta, etiam *Alexandri VII.*) tamen non correxi quicquam nec immutavi contextum, tum ob rationes, quas notant *Vindicia Gobatiane* parte 1. Observ. 7., tum maximè ne Cavillatores dicerent pluribus vitiis scatuiffe: nil autem incommodi potest timeri ex hac impressione, quia suis locis, ubi propositiones illæ occurrent, statim subjiciam damnationem, ac indicabo sensum, qui reprobandus est. Sed nec in aliis semper sequar sententias *Patris Busenbaum*, verùm illas, pro quibus mihi videbitur esse major Auctoritas & ratio firmior.

3 §. III. Sæpe referam propositiones damnatas à Conciliis vel Pontificibus, quas omnes simul reperies hîc post præfationem, nempe Articulos *Vicleff, Huss, Luteri*: item propositiones *Baji, Iansenii, Molinos*, aliasque reprobatas ab *Alex. VII., Innoc. XI., Alex. VIII., Innoc. XII.* Alia decreta Pontificum aut etiam damnationes aliarum propositionum ponentur suis locis, quando agetur de illis materiis.

4 §. IV. Referam etiam sæpe varias sententias, quas licèt non semper positivè improbaturus sim, attamen non ideo judico esse absolutè probandas aut passim sequendas; refero tamen, ut Confessarius sciat eas à gravibus Auctoribus doceri, & possit dissimulare quandoque in necessitate cum Pœnitentibus, si certæ accedant circumstantiæ, quæ reddant practicabiles, uti pluribus dicitur l. 6., quando de
pru-

PRÆFATIO

prudencia Confessarii. Etiam sæpe referam sententias utrimque probabiles, & non addam, pro qua parte sit meum de illis iudicium, maximè ubi quaeretur de peccatis; cujus causam dabo l. 4. n. 1542.

§. V. Auctores brevitatis causâ citabo adductis tantùm primis litteris nominum, quæ citationes ut intelligantur, & ut habeatur rudis aliqua noticia Auctorum, hic ante lib. 1., post propositiones damnatas, n. 23. redigam plerosque in Ordinem Alphabeticum, cum explicatione dictarum abbreviationum.

§. VI. Ubi non assignavero Librum vel Tractatum Auctoris, quem cito, intelligetur Liber vel Tractatus, in quo agit de subjecta materia, v. g. si in materia Præceptorum Decalogi dixero, *ita Sanch.* l. I. c. 4., intelligetur *Sanchez* in Opere Morali sive in Decalogo; si citavero in materia Matrimonii, intelligetur *Sanchez* in Libris de Matrimonio; & ita de aliis. Quando autem non exprimam totum locum, sed v. g. tantùm §. vel n., in quo hoc vel illud habet Auctor, citatio, quæ omittitur, reperietur paulò antè in eadem quaestione, cum ulteriore designatione libri & loci. Modum intelligendi citationes Juris Canonici & Civilis, reperies l. I. à n. 878.

§. VII. Etiam citabo quandoque Auctores Romæ confixos, quos legeram, antequam configerentur: videbitque Lector, quòd illorum nimiam laxitatem aut mordacitatem nullo modo probem sed potius impugnem: locos autem illorum annoto, ut inspicere possint illi, qui à S. Sede facultatem habent tales libros legendi.

§. VIII. *Medulla Patris Busenbaum* divisa est in septem libros, quorum

Lib. I. est, De actu Moralium regula, tum interna, hoc est, Conscientia; tum externa, hoc est, præceptis in genere.

* 3

Lib. 2.

PRAEFATIO

6 *Lib. 2. De praeceptis Fidei, Spei & Charitatis.*

Lib. 3. De praeceptis Decalogi & Ecclesiae.

Lib. 4. De praeceptis caeterorum hominum statui propriis.

Lib. 5. De modo discernendi naturam & gravitatem peccatorum, quae contra dicta praecepta committuntur.

Lib. 6. De Sacramentis novae Legis.

Lib. 7. De Censuris Ecclesiasticis & Irregularitatibus.

Ante singulos illos libros ponam Indicem Tractatum, Caputum, Dubiorum, ac etiam Quaestionum, quas addo. In fine cujusque libri dabo brevem Indicem Alphabeticum eorum, quae in libro illo tractantur; ac demum in fine totius Operis ponam Indicem generalem & locupletissimum rerum omnium.

9 §. IX. Cum scribam, etiam ut instruar; doceam, ut discam, demisse peto, ut si quid, cuicumque tandem, occurrerit, quod videatur addendum, demendum, corrigendum aut quoquo modo immutandum, dignetur me monere, & advertet me serio ac sincerè, ex amore boni communis, hoc ipsum petivisse; neque quisquam me promptius monebit improvidè aberrantem, quam ego prudenter admonentem sequar in impressionibus secuturis: *Nec pudebit, sicubi erro, discere, aiebat Magnus August. De Trinit. l. 1. c. 2. Quid enim gloriosius, quam subjici & vinci à veritate?* inquit in Explan. Psalmi 57. Et S. Anselmus in fine Libri, *Cur Deus homo. Si quid diximus, quod corrigendum sit, non venuo correctionem.* Similiter S. Thomas Opusc. 73. c. 21. *Quod si quid malè vel minùs bene dictum est, veniam peto, correctionem sustineo, scio enim, quod homo sum infirmus. Vive & vale.*

Articuli